

1430 aut eo invito, cives ad deditionem compulisset. Sforcia, expugnatis sub primum adventum hostium præfidiis, quæ circa portas urbis illi ab initio communiverant, Lucam quasi ovans est ingressus, ubi mutua gratulatione a Guinifio acceptus non diu apud eum defedit: sed in Pistoriensem agrum transgressus, aliquot oppida paucis diebus expugnavit. Guinifius præsentis belli eventum secum reputans, ratus ea auxilia, quibus in præsentia uteretur, nequaquam sibi diuturna fore, nec, si perpetua essent, ea tamen videri, quibus præsentis belli onere omnino levari posset, atque iccirco futurum omnino, ut vellet nolle, ad deditionem quandoque faciendam cogeretur; cæterum non ignarus, se longe meliore conditione tunc, quum res suæ aliquanto tutiore loco essent, pacem, quam postea tentaturum; cum Florentinis de ea clandestine agere cœpit; communicatoque domesticis consilio, factum est, ut eorum indicio quibus res credita erat, quæ Guinifius moveret, continuo Sforcia resciverit: qui, Philippo auctore prius facto, tyrannum & liberos in suam potestatem reductos Mediolanum misit, preciosissimam ejus suppellectilem suis diripiendam dedit, Lucensibusque in antiquam libertatem restitutis, urbem valido firmavit præsidio. Eum abeuntem cives amplissimis donaverunt muneribus: Florentini quoque non modico & ipsi viatico sunt prosecuti, triginta aureorum nummum millibus ob pacem sibi nuper redditam datis. Hetruriæ rebus in hunc modum compositis, ipse opibus & fama, certissimis ad majores rerum successus gradibus, auctus, deductis ex Hetruria copiis, in Galliam decessit.

Eo decedente, Florentini nova obsidione Lucenses premere sunt adorti. Ad quos præsentis periculo levandos Philippus parum diversa a priore illa ingressus via, Nicolaum Picininum Genuensium nomine (in quorum fide Lucenses venisse dicebantur) ad Florentinorum conatus evertendos misit: qui cum ingentibus copiis magnoque tumultu in Hetruriam erupit. Audita Picinini in Florentinos expeditione, Veneti, etsi nullis Florentino-

rum

*Nicolaus
Picininus
& ipse ad-
versus Flo-
rentinos in
Heturiam
erumpit.*